Epistola 279. IOHANNI COCCEJO IOHANNES BUXTORFIUS.

S.P. Vir Reverende, et Clarissime, Amice honoratissime;

Opportunitatem nundinarum Francofurtensium nolui negligere, quin paucis lineis amicitiam nostram, pro more, foverem, et amorem meum tibi contestarer. Parcius ab ~~anno~~ [illegible] nupero anno ad amicos scripsi, quod ex praecedenti anni morbo relictus languor, me ad labores quosvis segniorem reddiderit. Existimo tamen aliquid me ante semestre scripsisse, si bene memini, ne nihil agerem, Dissertationes meas, olim jam editas, recensui, et praelo submisi, quarum exemplar cum his accipies. Consilium quidem erat, ut in praefatione ad Lectorem videlicet Decalogicas Dissertationes, in singula praecepta, rogatu multorum in his terris, addere, quas ex parte jam Academicis Disputationibus hic proposui; loco Secundae partis. Sed cum monerer distracta esse exemplaria Thesauri Grammatici, et Bibliopolarum querelae ad me deferrentur, quod non possint amplius à Regiis exemplaria habere, existimavi, illius recensionem magis esse necessariam, et seposita ad tempus priori utilitate, ad hujus editionem novam me accinxi, meâ curâ variis additionibus, hac vice, auctum et locupletatum. Faxit Deus, ut feliciter illum ut incipere, sic et perficere liceat! Ut aliquid novi Dissertationibus accederet, quaedam ex Abarbenela Latine versa adjeci. Proxime, si Deus faveat, unius et forte alterius Disputationum Decalogicarum exemplar tuo judicio submittemus. De aliis, quae meditor et molior, nihil addo, quia video, me nec per aetatem, nec per valetudinem tenuiorem, de futuro multa polliceri posse. Dependent ea à Dei Opt. Max. nutu et providentia, cui me in utramque partem submitto.

Caeterum in quibus studiis tu verseris, quidnam vel nuper peperis, vel parturias, ex tuis me intellecturum spero. Quod antehac ad te scripsi, repeto, non paucos esse in his, et vicinis regionibus, tum Reformatis, tum Lutheranos, qui, ut scriptis tuis magnopere delectantur ita avide subinde aliquid novi à te expectant. De variis, quae sub manu, etiam jam ad prelum parata habeas, mihi retulit D. Blaspiel, Tui amantissimus, et observantissimus Discipulus, qui per unum et alterum mensem nobiscum egit humanissime. Itaque ut te ad vota publica, bono publico, impendas amice, et quia licet hortor, ita Deum rogo, ut Tibi ad haec vires, valetudinem, otium, et vitam longaevam ac felicem, clementer largiatur. Excitabis tuo exemplo, et tuo labore, quem praecipue Sacris literis illustrandis impendis, alios quoque, ut diligentius et accuratius illud studium cordi habeant, quod video à multis hodie frigidius et quasi παρέργως tractari, et Systematicis, Elenchticis, Polemicis, ac similibus authoribus, pene opprimi, adeo ut valde verear, ne brevi superiorum saeculorum tenebrosa Theologia, à majoribus nostris pie explosa et sepulta redeat, et reviviscat. Neque metus hic est inanis. Quotusquisque enim Studiosorum nostrorum Theologiae est, qui vel tertiam vel quartam partem temporis, quod studiis Theologicis impendit, Scripturae Sacrae lectioni et meditationi tribuat! qui eam in ipsis fontibus inspiciat, vel inspicere cordi habeat! Imo ne quidem ad hoc stimulantur et excitantur. Deus det meliora! et Vanum velit esse hunc metum meum!

Haud ita pridem vidimus iterum D. Duraeum, saxum suum Sisyphium subinde volventem et revolventem, sed parum promoventem. Nescio quo ipse, in suscepto suo proposito adeo pertinaciter tenendo, sustentetur; nunc praesertim, cum nulla authoritate publica instructus illud urgeat. Nos hac vice publico nomine nihil cum ipso agere voluimus, in priori nostro judicio adhuc persistentes. Hinc profectus est Tigurum, inde Genevam petet. Fuit quoque Heidelbergae, sed, quia Regis sui authoritate non fuit munitus, Serenissimus Elector noluit Theologos suos cum ipso conferre. An forte, quod suspicatur, illum non in magna gratia esse apud Regem? De quo tamen nihil mihi constat.

Vale, Vir Reverende, et me amare perge. Dab. Bas. Kal. Sept. An. [illegible]

Magno Tuo nomini
omni cultu et officio addictiss.
Joh. Buxtorfius [illegible]

Responsum in Epistolâ C. inter prius editas.

Viro Reverendo et Clarissimo,
D. Johanni Coccejo, S. Theol. Doctori, et
in inclyta Leidensi Academia Professori
celeberrimo, Amico [illegible] [illegible].

Leidam
Cum exemplari D. [illegible]